

in Propheta quoque Nathane verum id esse deprehendimus  
*Non omnia, inquit quae loquuntur Prophetae, Spiritu didicere Pro-*  
*phético, sed interdum, sicut cæteri hominum, suis ducuntur, imo abdu-*  
*cuntur consiliis & prudentibus agunt conjecturis. Unde nonnun-*  
*quam reprehenduntur à Deo, quod aliquid fecerint dixerintque &*  
*minus sanctè & non valde attemperatum ad rem. Exemplo esse*  
*poterit Jonas, in cujus verbis multa sunt, quae à divino atque Pro-*  
*phético Spiritu recesserunt.* Nathan igitur ex suo sensu respon-  
 dit, quia Davidem ut Virum DEO dilectum habebat, quippe  
 qui ab ipso Deo non in Regem tantum, sed et in Prophetam  
 selectus esset: quâ tamen in re suum de cætero iudicium uni-  
 cuique permittimus.

§. II. Sed antequam David initium faceret operi, nocte  
 statim insequenti factum est Verbum Jehovæ ad Nathanem  
 Prophetam, dicendo v. 5. *Abi, ut dicas servo meo Davidi, sic di-*  
*xit Jehovah: האתה תבנה לי בית לשבתי Tune aedificabis mihi*  
*domum, ut ego eam inhabitem?* Quæ propositio interrogativa  
 emphaticè prolata hîc æquipollet negationi, ut fieri solet, im-  
 primis quando de personis, uti & hoc loco, sermo est, qualia  
 exempla nobis multa suppeditat Scriptura. Ita responsio illa  
 Caini interrogativa *השמר אחי אנכי An custos ego fratris mei?*  
 Gen. IV. 9. meritò censenda est æquipollere negationi: Ego  
 fratris mei custos non sum. Omnium liquidissime id patet ex  
 Verbis Davidis admodum negotiosi olim & mæsti in sepul-  
 tura Abneri, ita ut sublata voce ad sepulcrum Abneri fieret,  
 in hæc erumpens verba II. Sam. III. 33. *הכמות נבל ימות אבנר?*  
*An secundum mortem stulti mori debebat Abner?* i. e. Abner non  
 ut stultus mori debuit. Et huic interrogativo in vim æqualem  
 respondet & particula *מי* ut Ps. XCIV. v. 16. *מי יקום לי עם מרעים?*  
*Quis surrecturus fuisset pro me contra maleficos? quis se stitisset*  
*pro me contra eos, qui operam dant iniquitati?* i. e. nemo hominum  
 mihi succurrere potuisset, ita actum de me erat. conf. Ps. CXIII.  
 §. Et quid opus est testimoniis, ipse Spiritus S, hanc locutio-  
 nem